

Quarti Regis Angliæ jus devenit, qui hanc insulam Henrico Percio Northumbriæ Comiti concessit (quasi victor triumphato Guilielmo Scrop, quem ipse privatus interceperat & securi percusserat cum regnum affectaret) ea lege ut ipse posterique cum Reges Angliæ inaugurarentur, præferrent ensẽ quo Henricus ille cinctus esset, cum Angliam redux adiret, vulgo *Lancaster Sword*. Sed ipsius Regis verbis è Regis Archivis hoc proponere lubet. De nostra gratia speciali dedimus & concessimus Henrico Comiti Northumbriæ Insulam, Castrum, Pelam, & Dominium de Man, ac omnia, insulas, & dominia eidem insule pertinentia, quæ fuerunt Guilielmi Le Scrop Chevalier defuncti quem in vita sua conquestati fuimus, & ipsum sic conquestatum decrevimus, & quæ ratione Conquestus illius tanquam conquestata cepimus in manum nostram. Quæ quidem Conquestum & decretum in presenti Parlamento nostro de assensu Dominorum Temporalium in eodem Parlamen-

to existentium, quoad personam præfati Guilielmi, ac omnia, terras, tenementa, bona & catalla sua tam infra regnum nostrum, quam extra ad supplicationem Communitatis regni nostri affirmata existunt, &c. Habenda & tenenda eidem Comiti & heredibus suis, &c. per servitium portandi diebus Coronationis nostræ & heredum nostrorum ad sinistrum humerum nostrum, & sinistros humeros heredum nostrorum per seipsum aut sufficientem & honorificum Deputatum suum, illum gladium nudum quo cincti eramus quando in parte de Holderneß applicuimus, vocatum *Lancaster-Sword*, &c. Quarto autem post anno Henr. ille Percy proscriptus, & mox licet natalibus restitutus, *Mannia* tamen multatus erat, quæ collata fuit primo Guilielmo Stanley, post eam Ioanni Stanley una cum patronatu Episcopatus, &c. cujus posterius Comitatus Derbiæ titulo insigniti, & *Mannia* Reguli vulgo appellati fuerunt.

Anno 1.
Henr. 4.
Rot. 2.
bundello
2.

Annales
Th. Or-
terbon.
Anno 7.
Henr. 4.



PA
illis.

im
nni-

pag.
e Bri-
icum.

es.

sa.

Ille
ight.
156.
lan-

in
itatu